



**Bellum Sacrum Ecclesiæ Militantis Contra Turcum  
Communem Hostem Christianorum**

**Vaux, Léonard de  
Leodii, 1685**

§. I.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64991](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-64991)

## NUMERUS TERTIUS.

Trinitas Increata, & invisibilis, in  
Verbo Deo Incarnato, Crucifixo, Glo-  
rificato, visibiliter hominibus appa-  
rere voluit: ut omnis qui credit in  
Christum J E S U M hominem  
Deum, omnium hominum, maxime  
fidelium Salvatorem, non pereat;  
sed habeat vitam Aeternam per  
ipsum.

## §. I.

**T**U solus Deus Pater, Verbum  
& Spiritus Sanctus, Deus  
unus, trinus; Rex saeculo-  
rum Aeternorum immortalis, & invi-  
sibilis, lucem inhabitas inaccessibi-  
lem; quem nullus hominum morta-  
lium vidit, nec ullus videre potest  
oculis corporeis in suâ essentiâ divinâ.  
Tu tamen ô beata Trinitas! per ad-  
mirabilem Verbi Divini Incarnatio-  
nem in Utero Virginali, virtute Om-  
nipotentiæ tuæ formatam: Te totam  
mundo universo pandere, & omni-

bus hominibus, ut in speculo clarissimo sine maculâ, spectabilem exhibere voluisti. Tu ô Trinitas ineffabilis, & incomprehensibilis, per hoc Verbi Increati omnium Creatoris, & Incarnati omnium Reparatoris, Mysterium absconditum à generationibus; per hoc novum opus Brachii tui omnipotentis, cui non est impossibile omne verbum, totum mundum recreasti, & populus qui sedebat in tenebris videt lucem magnam, cùm enim profundum silentium tenerent omnia, & nox in suo cursu medium iter ageret, omnipotens sermo tuus Domine de cœlis, à Regalibus sedibus venit.

Tunc nova mentis nostræ oculis lux tuæ claritatis infulsit, ut dum visibiliter Deum cognoscimus, per hunc in invisibilium amorem rapiamur, & cum beatis Spiritibus, primis tuis adoratoribus in spiritu, & veritate, corde, & ore sociati; hymnum gloriæ tuæ canamus, dicentes, Sanctus, Sanctus, Sanctus, Deus, unus, trinus: pleni sunt cœli & terra Majestate ejus: Ecce in Christo Iesu

Verbo Deo-homine, concepto de Spiritu Sancto, formato & nato de Maria Virgine, nova facis omnia, ineffabilibus totum mundum renovas Sacramentis, uniens in uno Verbo Incarnato ima summis, infinita finitis, cœlum terræ, Divinitatem humilitati, in unico Christo, nimirum in hoc Verbi Incarnati Mysterio, Deus factus est homo, ut homo fieret Deus, per purissimam cum ipso unionem. Manifestè hoc magnum est infinitæ pietatis, charitatis, sapientiæ, omnipotentiæ & bonitatis Dei, erga totum genus humanum Sacramentum: quod manifestatum est in carne nostrâ mortali, per immortalē; per unigenitum Dei Filium, qui factus est unigenitus Virginis Filius, ut esset primogenitus Prædestinatorum per ipsum, & cum ipso ad vitam æternam, quam datus est omnibus qui credunt in ipsum, fide per charitatem formatâ, usque in finem. Sicut ipse, cùm dilexisset suos prior, in finem dilexit eos.